

420
1776,8.

Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I
A N
C O N I V X I N C O N I V G I S B O N A
P R O P R I A A V T O R I T A T E H O D I E
S V C C E D A T E X E D I C T O : V N D E V I R
E T V X O R
Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S. P V B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S E B U R G E N S.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E X X. M A R T. A N N O C D I C C L E X X V I.
D E F E N D E T
C H R I S T I A N G O T T H E L F B I E L I T Z
S C H O E N E R S T. M I S N I C.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.



A N
CONIVX IN CONIVGIS BONA
PRÖPRIA AVTORITATE HODIE
S V C C E D A T E X E D I C T O
V N D E V I R E T V X O R

§. I.

Quamquam olim inter Romanos Decemviri intestato succedendi ordinem suis Legibus proposuerant, videlicet, ut primum *sui* his deficentibus *agnati* atque demum *gentiles* familiam defunclii nanciserentur; tamen Praetoribus non sufficere videbatur haec Legum ciuilium sanctio, sed novum atque honorario iuri proprium ordinem introduxit per edictum successorium, ea tamen differentia, ut non hereditatem, quae vox juris ciuilis erat, deferret, sed *bonorum possessionem* daret. An iuste fecerit Praetor succedendi ordinem mutando, iam non decido. Hoc tamen confirmo, me

* 2

non



non poenitere sententiae, quam olim de praetoribus, quos euersores iuris ciuilis dixeram, defendi. Quamuis enim BACCHIO in *Hist. Iur.* p. 211. credibile non videbatur, populum romanum passurum, ut a Praetore iura ciuilia euerterentur; tamen multa fient, quae patimur, cum ad ea perpetienda obligati haud sumus. Neque mirum, passum fuille populum, qui non poterat impedire, nisi rogatione facta. Culpa ergo patientiae populi magis tribuenda tribunis plebis, qui rogatione Praetoribus imperium fori haud admiserant, cum potuissent admere. Praeterea nescio, an ynquam magistratui, cui ipsa maiestatis iura haud competit, recte tribuitur facultas, subdito vel cui perfectum suum ius eripiendi, quod ipsi a lege datum. Id vero Praetorem fecisse dando bonorum possessionem emancipatis, vbi agnatis eripuit, et gentibus postpositis, vbi cognatos praetulit, sat manifestum. At tandem cessare hanc edicto factam criminationem, vbi ab Imperatore Hadriano ope Senatus Consulti Edicto Iulianeo legis perpetuo validurae vis data est, lubens concedo.

§. II.

Mitto edictorum ius et vim: de vnico tantum quaedam propositurus, scilicet de eo, ex quo *vir et vxor* succedendi ius obtinebant deficientibus successoribus legitimis. Erat sane haec praetoria successio inuenta in fraudem fisci, ad quem hereditas tunc peruenisset, cum nemo ex legitimis successoribus adfuisset. Hoc ab ipsis Imperatoribus THEODOSIO et VALENTINIANO in Constitutione edita, quae est *L. vnic. C. unde vir et vx. adfirmatur.* Verba sunt: *Maritus et vxor ab intestato inuicem sibi in solidum pro antiquo iure succendant, quoties deficit omnis parentum liberorumne seu propinquorum legitima vel naturalis successio FISCO EXCLVSO.* Equidem IVSTINIANVS in *Nov. CXVIII.* quam de successione ab intestato tulit, huius mutuae inter virum et vxorem successionis



sionis subsidiariae mentionem haud facit, non tamen habendus est propterea abrogasse, quod illam non confirmasset, quippe potius antiqua quae de liberorum, parentum et consanguineorum successione diuersa variaqua extabant iura, et in consonantiam redigere, melioremque et perfectiorum, vetera iura emendando, ordinem statuere censuit, Non ergo opus, ut quidquam de hac successione subsidiaria adderet, quae iam certa, definita et legibus confirmata erat,

§. III.

Inter virum et vxorem haec dabatur Praetoria Successio. Necesse vero erat, ut verum inter coniuges extiterit matrimonium idque mortis tempore adhuc existeret. Quaeri hic potest, an sufficiat, ut matrimonium pro vero habeatur, si, quae hodie est legitima celebritas, sacerdotalis benedictio exhibita. Cum enim in aliis quaestionibus, quae matrimonii iura concernunt, illud non prius pro vero habetur, quam si thalami ad senso facta, quae in aliis causis coniugum successionis requiritur: facile coniici posset, forsitan et in nostra causa requiri, ut consumatum sit matrimonium per adscensum thorum, si intestatae illi successioni coniugum locus esse debeat. Sed si veriorem sequamur sententiam, statim existeret matrimonium, simulac sacerdotalis benedictio pronunciata fuerit. Quamuis enim negari nequit, eam haud sufficere, quoties matrimonio tribuuntur effectus, quos patria germanicaque iura ex matrimonio producunt, ut in successionibus statutariis quaque ex conuentione inter coniuges proueniunt, tamen in iis effectibus, quos producit matrimonium, ex iure peregrino recepto, sufficere visa est Hyerologia illa ecclesiastica, quae in locum instrumentorum dotalium surrogata esse videbatur. Quae cum ita sint, cum subsidiaria illa successio viri et vxoris ad excludendum fiscum sit inuentio iuris Honorarii, sive exotici recepti, verior videtur sententia



tentia eorum, qui solam copulam sacerdotalem sufficere arbitrantur. Nollem tamen opinioni, quam BERGERVS in *Oecon. Iur. L. II. T. IV. th. XLII. n. 2.* habet, subscribere, qui putat, et sponsam et sponsum pariter ab intestato posse succedere, causamque addit, quod contra fiscum interpretatione fieri possit. Cederem, ni hoc ius singulare sancitum priuilegium contineret, quod extensuam respuit interpretationem, et nisi expresse VLPIANVS in *L. vnic. ff. unde vir et ux. scriberet, iustum esse matrimonium oportet.* Quis vero illam obligationem personalem inter sponsum et sponsam existentem diceret iustum matrimonium,

§. IV.

Haec ipsa vero Praetoria successio, quae per bonorum possessionem sit, ita comparata est, ut non ipso iure heredes habeantur. Testatur hoc Imperator IVSTINIANVS in *pr. I. de Bon. Poff. Quas, inquit, solus vocat Praetor ad hereditatem, heredes quidem ipso iure non fiunt, nam Praetor heredem facere non potest: et paucis interieclis pergit: sed cum eis Praetor dat bonorum possessionem, loco heredum constituantur, et vocantur bonorum possessores.* Quapropter necesse erat, vt, quibus bonorum possessionem Praetor promiserat, eandem a Praetore peterent, quo facto agnoscebant bonorum possessionem, eosdemque Praetor admittebat. Differt in hoc maxime ius heredis a iure bonorum possessoris, quod ille ipso iure heres sit, neque opus habeat, vt a Praetore petat, qui admittatur, sed priuata et propria autoritate poterat adire hereditatem: hic vero ipso iure non poterat heres haberi, sed prius petere debebat, atque si pro bonorum possessore declaratus a Praetore, bona hereditaria consequebatur. Hinc VLPIANVS in *L. 2. π. de bon. poff. pronunciat, vice heredum bonorum possessores haberi.* Quamuis vero petenda bonorum possesso, tamen ea et per alium peti poterat,



erat, imo ut ignorant, si per alium petatur, dari possit, quam speciem habet VLPIANVS in L. 7. pr. π. de de bonor. possif. Ait: *Nam et absenti et non petenti dari bonorum possessio potest, si hoc ipsum Praetor non ignoret.* Ergo et femina poterit alii bonorum possessionem petere. Petenda vero erat intra definitum tempus, quo elatio petitio admittenda non erat, quod coniicitur ex verbis VLPIANI in L. 1. §. 10. π. de successorio edit. vbi ait: *aut in diebus statis non admiserit.*

§. V.

Quale vero tempus petendae admittendaue possessionis definitum sit, docet VLPIANVS in cit. L. 1. π. de Success. edit. Liberis enim et parentibus annum praeslituit. Ait enim VLPIANVS c. l. §. 12. *Largius tempus parentibus liberisque petendae bonorum possessionis tribuitur: in honorem sanguinis videlicet; quia arctandi non erant, qui paene ad propria bona veniunt, ideoque placuit, eis praeslitui annum.* Reliquis omnibus centum dies Praetor definiuerat. Hinc et vir et vxor intra idem temporis spatium hanc nostram bonorum possessionem agnoscere debebant. Probabile est, Praetorem in definiendo tempore centum dierum respexisse ad tempora cretinis, quae intra centum proximos dies, quibus scierat poteratque, fieri debebat.

§. VI.

Iam ad nostra veniamus. Cum bonorum possessio illa Constitutione Theodosiana ciuilis iuris facta esse videtur, ut iam ex Lege succedendi ius inuicem coniuges habeant; forsitan concludi posset, ipso iure heredes deficientibus legitimis ab intestato coniuges fore. Hinc propria autoritate bonorum possessionem seu potius hereditatem habiturus superstes videtur coniux, sicuti alii heredes, qui ab intestato succidunt ex lege, quique non opus habent, ut a magistratu pe- tant hereditatem, aut coram magistratu admittantur. Sed non puto, haec procedere. Theodosius enim hanc successionem



sionem *pro antiquo iure* comprobauit. Antiquum vero ius, vt supra demonstrauimus, volebat, vt intra certum tempus bonorum possessio peteretur. Concludo, cum expressa recentior lex hanc petendi necessitatem haud remittat, eandem adhuc iure Iustinianeo seruatam fuisse. Quae cum ita sint, cum in iis, quae fori nostri non repugnant rationibus, Romanum ius receptum sit, vt ex eo causae decidi queant, nemo negabit, et in hac materia hoc applicari posse ius. Quapropter si coniux alter demortuus, cui nullus est legitimus heres, recte superstes coniux demortui bonorum possessionem petere debet eamque coram magistratu agnosceret. Hinc licet mariti bona defuncti possideat ipsius vidua, tamen nec propterea heres erit, nec possidundi ius habebit, nisi agnita coram magistratu bonorum possessione. Est et praeterea necesse, vt prius liquidum sit, nullos adesse legitimos heredes. Index ergo adeundus erit, qui citatione publica conuocet, si qui forsan sint, qai sibi in bonis defuncti coniugis ius competere, adserere velint, addito illo praeiudicio praeclusionis, ni compareant intra terminum. Et cum nemo suo fraudandus iure, dubium non est, hanc primam a magistratu curam esse adhibendam, vt haec publica citatio adfigatur. Quo facto, si nemo comparuit obtenta praeclusa sententia, tunc demum bonorum possessio vnde vir et vxor petenda et admittenda erit. Neque dubium amplius erit, hoc intra centum dies fieri debere, quibus elapsis, nec petita bonorum possessione liberum erit fisco, ipsam hereditatem sibi vindicare.



Leipzig, Diss., 1776 A-G



aus 34 Steck bisherrverku.

V D
18



Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I
A N
C O N I V X I N C O N I V G I S B O N A
P R O P R I A A V T O R I T A T E H O D I E
S V C C E D A T E X E D I C T O : V N D E V I R
E T V X O R
Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S. P V B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S E V R G E N S.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E X X. M A R T. A N N O C I C I O C C L X X V I .
D E F E N D E T
C H R I S T I A N G O T T H E L F B I E L I T Z
S C H O E N E R S T. M I S N I C.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

